



O pudor! o mores! o tempora perdita luxu!
 Deucalioneâ tempora digna rate!
 At tibi mos alius longe fuit, Optime rerum,
 O quondam generi lucida gemma tuo.
 Magnus eras ortu, doctrina major & arte,
 Maximus ingenii sed probitate tui.
 Plus & eras aliquid; sed regula trita magistri
 Contentum gradibus me jubet esse tribus.
 Vidimus o quoties meritorum signa tuorum,
 Vidimus affectus pignora certa tui.
 Clade domus tanta penitus concussa fatiscit,
 Ah nimis iratis tacta repente Diis.
 Parcarumque graves furias experta secantum,
 Et vix sanandas, flore cadente, vices;
 Nunc quoque nil veteris referens plaususque jocique;
 Gaudia sic marcent, sic fugit orbis honor.
 Ne tamen obrepat penitus cariota senectus,
 Et tenebrae laudi, nominibusque Tuis,
 Aut cum morte simul tenues rapiatur in auras
 Mentio, fecisti moribus ipse tuis.
 Nos quoque, quantumvis nil possumus edere magnum,
 Has tamen inferias, haec tibi dona damus.
 Ponimus haec nostri testes monumenta doloris.
 Carmina do; grandes sunt mihi carmen opes.
 Nec nos è Pario statuemus marmore Templum,
 Caesa Carystaeo nectibi saxa iugo.
 Nec, puto, septenos si Roma det ardua montes,
 Sufficerent tumulo structa theatra tuo.
 Exiguum munus, sed amicum paupere dextra
 Porrigitur; dextrae pauperis illa cape.

Cumque